

to tamen & longè ditio- rem , accuratio- remque , bono rei literariæ pu- blico promisit & exequitur Vir nostras Amplifs. atque Excellentifs. Dn. Joh. Jac. Kurz. Jctus Acutissimus , Serenissimique Principis no- stri Dicasta Aulicus meritissimus ; cui absolvendo vitam & vires inte- gras Patrono honoratissimo comprecamur. Cæterum faciemus & nos hinc & inde per hanc disquisitionem dictorum de hac materia tracta- tum plenorum mentionem , sed tamen non ea de causa , quasi plerasque illorum traditiones in mores abiisse , cum Francisco de Barri in *tr. de Succes. Testat. & intest. lib. 11. tit. 20. num. 1.* & non nemine in *disput. Inaug. Præfat.* existimaremus. Nam summa iis inest varietas & per- plexitas , uti notat Joh. Jac. à Camb. in *Præfat.* & J. Oldendorp, Com- mentatorum hujusmodi opiniones , exceptis gravissimis sui Seculi scri- ptoribus , ineptissimas scribit. Ergò primum ex analogia Juris , quam præ se ferunt , diligenter examinari debent ; perinde , ut Oldendorp. *d. l.* suo more simpliciter juris & æquitatis rationem se secutum ac verita- tem præferre dicit. Atque hæc erat causa , cur & nostri ingenii vi- res idem vadum tentarent ac periclitarentur , cumque de mandato Amplissimi Jureconsultorum Collegii in alma hac Studiorum Universitate disputandum esset , ad promerendos Facultatis nostræ su- premos honores , hanc præ cæteris materiam imperatis conatibus desti- narem. Vix autem quisquam putabit argumentum hoc à nostra ætate alienum ; nam docet quotidianus testamentorum stylus , nullum ferè testamentum fieri , in quo non aliqui constituantur executores , quibus ea cura à testatore demandatur , ut omnia , quæ disposuit , impleantur , quemadmodum de initio hujus Seculii iisdem verbis testatur Contr. Rit- tersh. in *Exposit. Novell. part. 6. c. 7. in fin.* ut adeò necesse sit , etiam fo- rum controversiis circa frequentissimam functionem , qualis jam Ol- dendorpio sua ætate visa fuit , occurrentibus frequentari : unde passim de ea peculiaribus quoque locorum statutis cautum est , quod in tracta- tione testabimur. Totis itaque præcordiis Divinam precamur Sapi- entiam , velit regia nos via ducitare , ut ten- tatum iter secundis auspiciis exe- quamur.

B 3

C 4-